

debet: mare quidem obedit, dum super illud, tanquam super firmam, ac solidam terram deambulabat, Petrusque deambulare fecit: terra ei obedit, dum ad imperium eius monumenta aperta sunt, et multa corpora sanctorum surrexerunt: instabiles etiam venti, et procellae ei obediunt: Quis est hic, quia venti, et mare obediunt ei? daemones obediabant, dum ad imperium eius a corporibus, quae obsidebant, egrediebantur: inexpugnabilis mors ab his, quos possidebat, voci eius subaudiens, longius recedebat, quoties mortuos ad vitam revocabat. Quid plura? certe Apostolo dicente (ad Philip. 2): In nomine Iesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium, et inferorum, etiam superni coelestiae eius voci obsequentes, ab eius voluntate nec latum unguem recedunt: Omnes sunt administratori spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis (Heb. 1): sed, et stellae ei promississime obtemperant, ut ait Baruch (c. 3): Stellae caeli vocatae sunt, et dixerunt: Assumus. Et quod isthaec omnia longe antecellit, ea quae omni entitate, et existentia caret, quasi revera existenter, et obsequuntur: Vocatae ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt (Rom. 4). Vocavit lucem, quae non erat: facta lux, et facta est lux: vocavit firmamentum, quod non erat: facta firmamentum, et factum est firmamentum: quae obediunt ei etiam quae non sunt. Si igitur caelestia tam caelestia, quam terrestria, et quae in inferis sunt, Christo Domino obediunt, et Christus obedit Iosepho; consequens est, omnia obedientiae Iosephi subesse, et potestatem, ac auctoritatem eius, omnem, non dicam terrenam solum, sed et caelestem potestatem longo intervallo antecellere: hoc enim argumentationis genere Theophrastus Graecorum rex, ut retulimus supra ex Plutarcho, inferebat, filio suo Dyaphanto omnia Graeciae regna subesse: Filius meus, aiebat, imperat uxori meae, et uxor imperat mihi, et ego tibi Graeciae; ergo etiam Dyaphantus eidem tibi Graeciae praesert. Recte ergo, et eleganter dixit insignis ille Cancellarius parisiensis (serm. de nat. Virg.): Haec subiectio sicut inestimabilem notat humilitatem in Christo, ita dignitatem incomparabilem signat in Iosepho: quid enim subditus, quam quod ei, qui in femore scriptum habet: Rex Regum, et Dominus Dominantium: ei, cuius nomen est: Deus fortis, Pater futuri saeculi: ei, qui Dominus exercituum vocatur; ac tandem ei, qui dicit: Mihi curvabitur omne genu, Ioseph unus patris auctoritate imperet; et ille filiali subiectione ei subsit, et obediat, ac dicat Pater, facta voluntas tua: quod nos aeterno Patri orantes dicere ipse docuit in oratione dominica?

Ad haec cum officio paterno quid magis coniunctum, quam alere filium, et maxime in infantia, et pueritia, cum filius propria industria victum sibi comparare non potest? Sane inestimabilis est Iosephi laus, ut ei, de quo ait David (Psal. 144): Aperis tu manus tuas, et implet omne animal benedictione; ille manum suam aperuerit, porrigenis ei potum, et cibum; et illi, de quo idem (ibid.) testatur, omnia alere animalia: Tu das illis escam in

tempore opportuno; ipse per multos annos fabrilis artis labore acquisitam escam exhibuerit, et necessaria ad victum, et vestitum subministraverit? unde nulli melius, quam Iosepho, Christum dicturum arbitror in die iudicii, quod ipse pollicitus est (Matth. 25): Euerit, et dediti mihi manducare; stitit, et dediti mihi bibere; nudus eram, et cooperasti me. Immo, si rem altius contemplerur, cum Christus Dominus ex alimento, quo utebatur, maiorem in dies sanguinis quantitatem acquisierit; sane, cum pretiosus ille sanguis pretium fuerit inestimabile nostrae redemptionis, opus est etiam concedamus, Iosephum auctori salutis nostrae materiam subministrasse sudore vultus sui, labore manuum suarum acquisitam, ad conficiendum pretium pro reparatione generis humani aeterno Patri in ara crucis exsolvendum: unde eo modo, quo purae creaturae concedi potest, crediderim Iosephum, et Mariam Christi fuisse in redemptione generis humani praestantissimos coadiutores, et consequenter ipsis maioribus obligationibus vinculo, quam reliquis omnibus sanctis, totum genus humanum devinctum esse.

Ac tandem, quod longe reliqua omnia superat, ex hoc palerno Iosephi munere erga Christum colligitur eximius, ac ardentissimus illius erga eundem amor, cum revera filii ex gratia non minus, quam ex natura, procreati diligantur, ut docuit d. Ambrosius (l. 1. de off. c. 7) dicens: Non enim eos minus diligo, quos in evangelio genui, quam si in coniugio suscepissent: non enim evehentior est natura ad diligendum, quam gratia: haec omnia adeo celeberrimam tibi orbi reddunt nostrum Iosephum, ut in eius laudibus decantandis impures etiam angelicus spiritus esse putem, ut qui patris Christi dignitatem omnino comprehendere non valeant: unde quae Christus dixit verba (Matth. 11): Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare; non solum de Patre aeterno, sed et de Iosepho, patre eius patulivo, satis verificari autumo. Quare, sicut olim quidam orator, ut auctor est Sabelicus, postquam multis encomiis Philippum Macedonum regem ad coelum usque extulisset, ultimum colophonem orationis suae praebens, dixit: Hoc unum dixisse sufficiat, filium te habuisse Alexandrum; sic ego, gloriosissime Ioseph, cum laudes tuas digne depromere non valeam, hoc unum, quod bene infinita in se complectitur, dixisse sufficiat, filium te habuisse Deum. Quare si Paulus gloriabatur dicens (Aetor. 17): Ipsius enim et genus sumus; sane Deus ipse veracissime dicere potest de Iosepho Patre suo legali, et Matris suae consanguineo: Ipsius enim et genus sumus. Tum vero si, Salomone id attestante (Prov. 10. 13. 15): Filius sapiens laetificat patrem: quanta Iosephi laetitia, quamque ingens laus erit filius infante sapiens, in quo, ut Apostolus inquit (Coloss. 1), sunt omnes thesauri sapientiae, et scientiae Dei? Sane, cum Filii sapientia sit plane infinita; non potest, non Iosephi patris eius gloria quamdam dignitatem infinitatem inde mutare. Fateatur ergo tam humana, quam angelica facultia, eius in laudibus decantandis con-

nino se imparem esse, et quas verbis digno prosequi non potest, religioso silentio veneretur; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XII.

Pulchra sanctissimi Iosephi Deiparae Mariae sponsi, cum antiquo illo Iosepho Patriarcha comparatio; quam tam multiplici sanctorum Patrum eruditione, quam variis animi conceptionibus locupletamus, ac Virginem fuisse comprobamus.

Non paucos scriptores in eo hallucinari animadverto, quod paucissima de beato Iosepho expresse sacros evangelistas edixisse autumant; quod mihi e contra eos facilitasse videtur, cum praecipua capita omnium, quae de b. Iosepho nostrae cognitioni subesse iure desiderari possent, diserle telegerint. Nam, si nomen ignoras, Iosephum vocatum dicunt: Jacob autem genuit Ioseph: si genus, et prosapiam, ecce aperte iniquum, ex regali progenie ortum de domo David, et anglico ore filius David vocatur: si morum eius conditionem, et vitae rationem cupis tibi innotescere, minime illam silentio praeterent, sed compendiosam potius quamdam de moribus, et vita illius, ut aiunt, informationem evangelica auctoritate contestata tibi reliquerunt, Mattheo dicente: Ioseph autem, cum esset iustus, noluit eam traducere: si deinde statum eius nosse desideras, cum Maria idem nuxoratum tradunt: Ioseph, virum Mariae. Quod si adhuc arcanas eius cogitationes tibi patefieri, et reserari postulas, illas etiam manifestat, dum aiunt: haec autem eo cogitante. Quid plura? non solum quae in vigilia, sed quae ipsi dormienti, et somnianti acciderunt, palam tibi aperiant, dicentes: Ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph. Haec omnia adamussim praefigurata reperio in patriarcha illo Ioseph, quem beatissimi nostri Iosephi, Virginis sponsi, typum gessisse unanimes est Patrum sententia: et quamvis non ignorem, d. Bernardum (serm. de Ann.), et alios praesentis collationis inter hos duos Iosephos egregium argumentum perlepide, et eleganter prosequutos fuisse, quae illi tamen praetereire, nostrum erit adiungere, non actum agere videamur. Et quidem, si a nomine exordiamur, eodem uterque gaudet, quod augmentum, seu incrementum significat, ut multi volunt: ad quod videtur alluisse Jacob, cum filio suo Iosepho dixit (Gen. 49): Filius accrescens: quod in nostrum Iosephum satis convenire noscitur; tum quia cum alii sponsi virginitate minuantur, ipse per matrimonium cum Maria virginitatis, et aliarum virtutum singulare incrementum suscepit; tum etiam quia, sicut antiquus ille patriarcha sic appellatus fuit, quia ad illud honoris augmentum perventurus erat, ut lotius Aegypti prorex, et secundus a rege futurus esset; sic noster Ioseph ad tanti honoris culmen ascendit, ut Christi pater nominaretur, et Dei Genitricis

veris maritus esset, quod non solum imperialem, sed, et apostolicam dignitatem longe antecellere arbitror, ut suo loco demonstravi. Sed nec silentio praeterebo, quod Ioseph hebraice, si credimus illius idiomatis peritis, patriarcham arborem significat, quod et Iosepho mirifice congruit, cum sub protectionis eius umbraculo melius, ac securius, quam animantia sub Danielis arboris umbra, Iesus, et Maria acquirerint, et a rapacibus herodianis accipitris unguibus sua protectione ipse eos liberaverit. Alii tamen ex hebraeo contendunt significare filium fructiferum, vel crescentem iuxta fontem, vel iuxta oculum: unde Pagninus vertit, ut Ioseph idem sit, quod ramus fructificans iuxta fontem, vel iuxta oculum: quod et nostro Iosepho recte consentit: nam infans ille, quem ipse amplexabatur, eius pedes saepe osculabatur, iuxta quem sedebat, dormiebat, vigilabat, ac permuta virtutum opera exercebat, omnium bonorum fons erat uberrimus. Bene ergo iuxta fontem crevisse dicitur Ioseph, vel iuxta oculum; iuxta oculum enim Christi versabatur, quem ipse, ut pupillum oculorum suorum diligebat. O felicem arborem, tali irrigatum fonte, ad maximum incrementum pervenisse, quis quaeso ambiget?

Quod si Moyses antiqui Iosephi historiam referens, honorifico iusti cognomine patriarcham illum honestavit, idem sane cognomen evangelista nostro Iosepho tribuit: Ioseph autem, cum esset iustus. Immo observaverim quattuor insigne Iosephos divina eloquia commemorasse: Iosephum proregem Aegypti; Ioseph ab Arimathaea, qui Christi sepulchra operam dedit; Iosephum Barsabam, super quem ad apostolatam missae sunt sortes; et Iosephum Virginis sponsum, quos etiam omnino iustos cognominant: nam Sapiens (c. 10) loquens de patriarcha Ioseph ait: Haec venditum iustum non detegit. De Ioseph ab Arimathaea Lucas (c. 23) ait: Vir, nomine Ioseph, qui erat Decurio, vir bonus, et iustus. De Ioseph Barsaba Lucas (Act. 1) scribit: Ioseph, qui cognominatus est iustus. Ac tandem idem evangelista (Matth. 1) de nostro Ioseph sermone instituit, ait: Cum esset iustus, noluit eam traducere. At nostri Ioseph iustitia tantum illorum iustitiam, quantum et dignitas antecellit maxime, si absque lethali crimine, ut certissime credo, et docet d. Augustinus (l. 6. de nat. et gra.); vitam transiit, et in ventre materno fuit sanctificatus, ut docent Cancellarius parisiensis (ser. de nat. V. et in Ioseph.), et Episcopus Christianissimus (super Magnificat), quibus moderni non pauci consentiunt; immo eruditus noster Bernardus de Busto (in marial. 4. p. ser. 12), postquam refulerat opinionem cuiusdam dicentis, divinitus praeservatum fuisse ab originali culpa, non audiens illum dammare, ait: Utrum autem Ioseph ab originali macula praeservatus fuerit, ipse Deus novit, qui talem in patrem sibi putavit, et gubernatorem suae humanitatis, et dilectissimae Matris suae coniungens super omnes homines elegit. Si patriarcha Ioseph nobilitate conspicuus fuit, quippe qui ex illustribus

sima Abrahae familia originem ducebat, eiusdem etiam nobilitatis non solum particeps esse noscitur noster Ioseph, ut testatur d. Matthaues, Virginis genealogiam texens, cui alterum caput apposuit patriarcham Abrahamum, et alterum regem David: *filius David, filii Abraham, sed in gentilitate claritatis genere tanto veterem illum Iosephum praecellit, quanto Christo sanguine propinquior fuit; qui tanquam fons totius nobilitatis maiorem splendorem in genus suum effudit, quam ab illo suscepit: ex quo apertissime constat, nullum virum generis nobilitate Iosepho clariorem unquam extitisse; unde d. Bernardus (hom. 2. super Missus est) ait: Vere de domo David, vere de regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilitor, plane filius David, non degenerans a patre suo David, prorsus, inquam, filius David, non tantum carne, sed fide, sed sanctitate, sed devotione, quem, tanquam alterum David, dominus invenit secundum cor suum, cui cito committeret secretissimum, atque sacratissimum sui cordis arcum; cuique, tanquam alteri David, incerta, et occulta sapientiae suae manifestavit. His non parum consentanea tradit d. Antoninus (4. par. Theol. tit. 15. c. 8.) ubi versans illa verba, De domo David, inquit: Dicitur Ioseph de domo David, non tantum propter successionem in genere, sed principaliter propter virtutum imitationem, quia tales proprie dicuntur esse de una domo, sacra illud Psalmistae: Qui habitare facit unius moris in domo. Adde etiam, quod qui futurus erit nutritius regis coelestis, par erat, ut esset regia nobilitate conspicuus, iuxta illud Isatae prophetae (c. 48): *Erunt reges nutritii tui, hoc est, Maria, et Ioseph, ex regia Davidis prosapia originem ducentes. Quod si ad morum probitatem antiqui illius Iosephi mentis aciem convertas, miram quandam simplicitatem, et armoniam inter illum, et nostrum Ioseph reperies; ut enim dixit d. Bernardus: Memento magni illius quondam patriarchae venditi in Aegypto, et scito ipsius istum non solum vocabulum fuisse sortitum, sed et castimoniam adeptum, innocentiam assecutum, et gratiam. Ille quidem et sanctitatem, et castitatem suam mirifice ostendit, cum dominae suae blanditius provocatus non solum non consensit, sed ut casum penitus praecaveret pallium in manus illius relinqueret, effugit. Sed, si hoc tibi magnam castimoniam, et sanctitatis argumentum videtur, ecce maius praestitit noster Ioseph: nam ille consensit, se accedens ad uxorem alienam, hic vero, ne propriam agnosceret, se cohibuit ille quidem castus fuit, at noster Ioseph, quam castus, quia virgo? ille castitate praeslitit, hic virginitate praefulsit. Licet patres graeci, Epiphanius (haer. 51. et 78. et in Anchorato), Euthimius (Matt. 12. et 27. et Ioan. 19), Gregorius Nyssenus (or. 2. de Resurr. Christi), Origenes (Matt. 13.), Theophylactus (Matt. 23. et 27. et Ioan. 19. et ad Gal. 1. et 1. ad Cor. 9), Nicephorus (1. 1. c. 7. et cap. 21. et lib. 3. c. 3), quorum sententiae adscripserunt ex latinis Hilarius (cont. 1. in Matt.), Ambrosius (ad Galat. 1. et de instit. c. 6), Platonius (in vita d. Petri), licet, inquam, omnes isti**

arbitrentur, Iosephum, antequam Mariae desponsaretur, ex alia coniuge liberos genuisse, qui propterea in evangelio fratres Domini frequenter vocitari solent: Patres vero latini, Hieronymus (cont. Helvid. in fin. et sup. Matt.), Augustinus (ser. 14. de nat.), Chrysostomus, Anselmus (Molt. 12), d. Thomas (in ep. ad Gal. lect. 5), Ugo de sancto Victore (ib. g. 5. B. ep. 11. c. 4), b. Petrus Damianus, venerabilis Beda (Ioan. 3. Marc. 6. et Luc. 8), Theodoretus (ad Gal. 1), Chrysologus (ser. 175. d. 30), Alcuinus, et communis consensu scholastici doctores docent, Iosephum perpetuam virginitatem custodisse; quorum sententiae omnino adhaerendum esse censeo: maxime quod b. Petrus Damianus disertis verbis dicit, hanc esse Ecclesiae fidem: quam propterea varitis doctorum testimonio, et solidissimis rationibus confirmabo. Et quidem in primis deceptionem eorum, qui oppositae sententiae subscribere, d. Hieronymus, sacrarum Scripturarum diligentissimus scrutator, his verbis luculenter aperit: quibus, et Ioseph filios admittit, et simul causam erroris ostendit: sic enim ait: *Quidam, fratres Domini de alio uxore Ioseph filios suspiciunt, sequentes deliramenta apocryphorum, et a quadam alia muliercula confingentes. Nos autem, sicut in libro, quod contra Helvidium scripsimus, continetur, fratres Domini, non filios Ioseph, sed consobrinos Salvatoris, Mariae liberos intelligimus, mater terae Domini, quae esse dicitur mater Iacobi minoris, et Ioseph, et Iudae, quos in alio evangelii loco fratres Domini legitimus appellatos; fratres autem consobrinos dicit, omnis Scriptura demonstrat. Recte ergo laudatus doctor Hieronymus ait, sacrum Scripturam id demonstrat, cum non semel speciali propinquitate coniunctos fratres vocare solet, ut constat ex Genesi 13, ubi Loth, et Abraham dicuntur fratres, cum tamen constat (ex cap. 11), Loth fuisse nepotem Abraham, et similiter (cap. 29) Iacob, et Laban dicuntur fratres, extantque alia peraeque exempla, quorum meminere Augustinus (lib. 11. de Civ. Dei. cap. 19), et Epiphanius (haer. 39. Orig. sup. 13. Math.). Relece etiam d. Hieronymus dixit, deliramenta apocryphorum sequi oppositum opinantes; tum quia Origenes (sup. c. 13. Math.) testatur, opinionem illam liberos Iosepho adscribentem oriam fuisse ex quodam evangelio Hebraeorum Petro, aut Iacobo adscripto, cuius tamen Seleucium haereticum legitimum eius auctorem extitisse, tradit Innocentius primus (ad c. 7.) et Augustinus (lib. 1. de fide con. Man. cap. 38): tum etiam quia, cum in evangelica historia assignentur expresse parentes fratrum Domini, manifestum est, Iosephum non fuisse parentem illorum; Iacobus enim minor, qui frater Domini vocatur, Iacobus Alphaei dicitur apud Matthaenum, Marcum, et Lucam, in quibus locis alter etiam Iacobus maior, qui et frater Domini appellatur, dicitur Iacobus Zebedaei; sic autem dicuntur, quia ille erat filius Alphaei, iste Zebedaei: iuxta phrasin enim Scripturae filius a patre cognominari solet, ut constat (1. Machab.), ubi dicitur, Alexander Philippus, quia parens eius Philippus erat. Unde venerabilis Beda haec perpendens (in cap. 6. Marc.) ab haec*

reticis autumat in Patrum scriptam sententiam de filio Ioseph; Patres enim non ignorabant, Matthaenum, nominare Iacobum filium Alphaei: unde ergo somnari poterunt esse filium Iosephi? extat item aliud insigne testimonium eiusdem d. Hieronymi (lib. contra Elvid.), Iosephi virginitatem adstruente: scribens enim contra Elvidium haereticum ait: *Tu dicis Mariam virginem non permansisse? ego mihi plus vindico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, ut ex virginali coniugio virgo filius nasceretur: si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, et aliam eum uxorem habuisse non describitur, Mariae autem quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quam maritus, (subintellige, consummans matrimonium) relinquatur, virginem enim mansisse cum Maria, qui pater Domini meruit appellari. Accedit ad haec d. Augustinus (ser. 15. de nat. Dom.). Habe Ioseph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, gaude, nimirum congaude virginitati Mariae, qui vices meruisti virginitatem affectum possidere coniugii, quia per meritum virginitatis ita separatus es a concubitu uxoris, ut pater dicaris Salvatoris. Venerabilis Beda (in cap. 2. Ioan.) de Iosephi virginitate, tanquam de re indubitata loquens, ait: *Abque ullo scrupulo quaestionis scire, et confiteri oportet, non tantum Dei Genitricem, sed et beatissimum castitatis eius testem, atque custodem Ioseph, abque omni prorsus actione coniugali mansisse semper immantem. Rupertus (lib. 2. in Cant.) versans illa verba: Pascitur inter lilia, ait: *Quoniam sunt lilia, nisi amicus dilecti, Ioseph, et ego dilecta, cui dicit: Sicut liliam inter spinas, sic amica mea inter filias? vere ambo lilia, videlicet pro virginalibus nuptiis, et cohabitatione castissima.***

Sed, quod cumeta omnia supradicta longe superat, b. Damianus (in epistola ad Nicol. Pont.) tradit his verbis, veritatem hanc esse de fide: *Et ne hoc sufficere videatur, ut tantummodo virgo sit Mater, Ecclesiae fides est, ut fuerit virgo et is, qui simulatus est pater. Si igitur Redemptor noster tantopere dilexit floridam pudoris integritatem, ut non modo de virgineo utero nasceretur, sed etiam a nutritio virgineo tractaretur, et hoc, cum adhuc parvulus egeret in cunis; a quibus nunc, obscuro, tractari vult corpus suum, cum iam immensus regnet in caelis? Sed et his insuper, tam pie, quam sapienter superaddunt d. Augustinus, ut habetur (27. q. 2. tit. 15. c. 23), Angelicus Doctor (3. p. q. 38. art. 4. d. Antonin. 4. p. Theol.), et Cancellarius parisiensis (in univ. sup. ep. ad Gal. cap. 1. et ser. de nat. Marc. consid. 3), Iosephum non solum perpetuam virginitatem coluisse, sed eandem nuptuato voto in consortio Virginis Deo conservasse, quod et docuit Abdias Babylonius, qui tempore apostolorum vixit, in vita ss. Simonis, et Iudae. Nec desunt rationes moraliter evidentes, eandem Iosephi virginitatem stabilientes: nam si Christus in cruce moriturus, Matrem suam virginem iam in aetate procreta nomen virgini Ioanni commendare voluit, quomodo eam in iuvenili, ac tenera aetate Ioseph commendasset, nisi ille virgo esset? Unde Cancellarius parisiensis (in sua Io-*

seph.) dixit: *Corrupto nunquid fuerat socianda puella, quae grandaeva fuit soli commissa Iohanni? Item quia, si Christus Dominus adeo virginitatis amatorem se exhibuit, ut non contentus virginitatem servare, voluerit de virgine nasci, virgineo lacte nutririi, virgineo sinu foveri, praecursorem virginem habere, a virgine Maribus ministrari, et hospitio recipi, in sepulcro virgineo, in quo nondum quisquam positus fuerat, sepeliri, ac tandem in coelestis patria virgineis choris septus incedere: Qui sequuntur Agnum, quocumque ierit; quis sibi persuadere, eum, qui pascitur inter lilia, Iosephum elegisse in patrem suum adoptivum, et Matris suae sponsum, et custodem, nisi virgo esset? Deinde: nam si d. Caecilia virgo legitur Valeriano sponso domum virginitatis impetrasse a Deo, et ad illam revocandam persuasere: indevota quaedam mentis est, non sibi persuadere, simile quilibet beatissimum Deparam sanctissimum viro suo Iosepho praestitisse. Item, quia Ioseph electus fuit a Deo, ut vices Patris coelestis gereret in terris: congruebat ergo, ut sciret de illo beata Agnes dixit: *Cuius Pater foeminae nascit: ita nec Ioseph foeminae unquam agnovisset; maxime quod cum ipsi incuberet immediatissime, et familiarissime Christi humanitatem contractare, mirum in modum decebat, plusquam angelica puritate vigere. Unde melius Ioseph, quam Sara, verba illa sibi usurpare, et adaptare potuisset: Tu scis Domine, quod nunquam concipit foeminae (in textu Tob. 3. 16. dicitur virum), et mundum servare animam meam ab omni concupiscentia; uxorem autem (virum dixit Sara), cum timore tuo, non cum libidine mea consensu suscipere. O virum castissimum, qui te docuit tantum Deo placere virginitatem? quae lux, quae iustitia, quae denique pagina veteris testamenti praecipit tibi in carne non secundum carnem vivere, et in terris angelicum docere vitam? Nondum legeras, o beatissime Ioseph: Sapientia carnis mors est, et: Curam carnis ne perfeceris in desiderio: nondum legeras de virginibus, qui cantant cantum novum, quod nemo alius cantare poterat, et sequuntur Agnum, quocumque ierit: nondum legeras a Christo laudatos esse, qui se castraverunt propter regnum coelorum: nondum legeras (1. Cor. 7): Qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit, sed qui non iungit melius facit: nondum legeras (ibid.): De virginibus praecipit Dominus non habere, consilium autem deo: nondum haec audieras, nondum de illis acciperas, non dicam praecipit, sed neque consilium, neque exemplum; et tamen iam illa observabas; sed ideo te illa observasse puto, quia Spiritus sancti unctio iam tunc te docebat de omnibus, ac Verbum divinum, qui sermo Dei vivus, et efficax est, ante tibi factus est magister, quam tu illi pater, et nutritius; prius tibi instruxit mentem, quam in utero tuae Sponsae sibi indueret carnem omni labe carentem. Quid hoc est, o virgo Ioseph, quid hoc est? Christo devovisti, te exhibere virginem, et necis, quod ipsi exhiberi te oportet etiam patrem? Elegisti in Israel esse contemptibilis, et ut illi placeres,**

cui te probasti, maledictum sterilitatis incur-
rere non dubitasti? sed ecce maledictio bene-
dictione commulatur, et sterilitas paternitate
compensatur: quia ubi pro Deo contemptibilis
esse non refugisti, ibi pater filii eius putari,
et appellari dignus fuisti.

Sed iam ad desponsationem Iosephi, statum
eius indicantem, in qua persimilis fuit anti-
quo illi patriarchae, pergamus. Vincentius (*in
sua spec. hist.*) refert, Asebeth filium magni
sacerdotis Heliopolis pulcherrimam suae ac-
tatis foeminam, et castitatis amanissimam dixisse,
neminem, nisi alicui deorum illum in
uxorem fore dandam; unde in arce fortissima
se conclusit, ubi cum aliis virginibus vitam
honeste debebat. Accidit autem, ut Iosepho
prorege Aegypti iam creato, illac eunte, Ase-
beth ex fenestra quadam arcis illum prospiciens,
eius modestissimae, ac pudicissimae pul-
chritudinis amore captus, in sponsum illum
accepit. Ad eundem modum v. Virgo omnium
foeminarum pulcherrima, quae nonnisi Deum
immortalem in sponsum habere proposuerat,
et ideo ob virginitalis amorem in templo cum
aliis virginibus conclusa, vitam traducebat,
ex divino instinctu Iosephi modestia, ac vir-
ginis pudore allecta, illum in sponsum suum
libenter accepit. Quod, si Asebeth, si dic-
tionario hebraeo complutensi credimus, si-
gnificat *ignem distillantem*; recte id Desiparæ
Mariae congruit, quae in sponsum suum di-
vini amoris ignem distillans, minimam etiam
libidinis scintillam penitus extinxit. Et, ut in
omnibus mira effulgat similitudo, et alque
proportio, sicut Ioseph ille patriarcha, e-
odem auctore id commemorante, firmo propo-
sito deceverat, se nunquam nupturum, unde
Zenobiae, et aliarum illustrium foeminarum
importunis precibus reluctanti, ac invicto ani-
mo obstiterat, iussu tamen regis Pharaonis uxorem
duxit; sic beatus noster Ioseph, quamvis,
tamquam virginitalis cultor, firmum pro-
positum apud se statuisset, nunquam nubendi,
divino tamen imperio subaudiens, Dei Ge-
nitricem Mariam in sponsam, et uxorem li-
bens accepit.

Tandem, sicut antiquus ille patriarcha Ioseph,
igne tribulationis exustus, ac probatus, in
pulum proiectus, a fratribus venditus, ob
falsam adulterii suspicionem perream
accusatus, et in carcere detrusus fuit, indeque
tandem liber evasit; non secus noster
Ioseph, cum multis, ac variis laboribus esset
oppressus, illud tamen vehementius viscera il-
lius contorsit, quod apparentis adulterii in
gravida sponsa manifesta iudicia oculis suis
perlustrabat. Quanto autem acriter, immo, et
immaniter zelotypiae gladius cordis intima dis-
rumpat, testatur Salomon (*Prov. 6.*), dicens: *Zelus
viri, sicut infernus est inexorabilis: unde
Deus permittit Hebraeis ob ingentem dolo-
rem viri, uxoris fidelitatem zelotypiae reme-
dio explorare, et experiri. Quia ergo variis
cogitationum aculeis praecordia nostri Iosephi pun-
gebantur, dum gravitatis cogitabat Sponsam,
quam nunquam legerat; ideo Matthaeus (c. 1.)
ait: Haec autem eo cogitante, apparuit ei ange-
lus Domini: ut enim testatur s. Birgitta, id re-*

ferente doctissimo Gratiano (*in vita S. Ioseph*), b.
Virgo ex sola compassione doloris sponsum eius
exerciantis, tanto angore fuit confecta, ut Deus
ad illum solandam archangelum mitteret Ga-
brielem, qui certiorum illum faceret, se iam
divinitus destinatum esse, ut incarnati Verbi
arcam Iosepho aperiret, et conceptam tri-
stiliam in summam laetitiam ad maiorem il-
lius gloriam converteret. Qui trinus, et unus
regnat in saecula saeculorum. Amen.

HOMILIA XIII.

*Argumentum incoeptae collationis sanctis-
simi Iosephi cum antiquo illo patriar-
cha Iosepho varia, ac multiplici eru-
ditiōne prosequimur.*

Utriusque Iosephi ad invicem comparisonem,
adeo locupletem, atque ubere venam esse
comperio, ut quo diligentius cogitationis li-
gine eam effodio, tanto maiora d. Iosephi praec-
conia mihi detegantur. Et quidem, ut a domi-
nae naturae ad munera gratiae nostra assurgat or-
atio, a corporea eius pulchritudine praetor-
dini; sicut enim antiquus ille patriarcha Ioseph
pulcher adeo erat, ut sacra Genesis (39. 40.)
dicat: *Erat Ioseph pulchra facie, et decorus aspe-
ctu: unde, ut refert Nicolaus de Lira (sup. c.
49. Gen.), quoties foeminae nobiles Iosephum
praerire per medias vias audebant, confestim
ad pulchritudinem eius per cancellos, et fenestras
intuendam properabant; quod non parum
ex eo confirmari auctore, quod Iacob cum
Iosephum ad ei impertiendam ultimam bene-
dictionem accersivit, postquam dixerat: Ioseph
decorus aspectu, continuo subiunxit: filiae discu-
rerunt super murum: vel, ut alii vertunt teste
Lyrano, filiae discurrerunt propter aspectum;*
non secus noster Ioseph tanta pulchritudine ef-
fulsit, ut Christo Domino, qui speciosus erat
prae filiis hominum, vultu similem fuisse, praef-
ter Gersonem (*in sua Iosephina*), historia ori-
entalis tradat, ut refert Gratianus (*lib. 2. c. 4.*
in vita S. Ioseph), adducens verba Christi in re-
velatione quadam dicentis: *Ego eram similis Ioseph
in omnibus; unde crediderunt Christum Domi-
num non solum putatum esse filium Ioseph,
ut tradunt evangelistae, quia Maria mater eius
nupta erat Iosepho, sed et quia vultu et per-
similis erat; sic enim magis virgineus partus
celebatur diabolo, dum similitudo vultus inter
Iesum, et Ioseph ansam ei praebere ad in-
dicandum, illum filium eius esse. Deinde que-
madmodum, ut sacer textus (*Genes. c. 37*) ait,
Ioseph prae cunctis fratribus a patre suo Ia-
cob dilectum fuisse: *Israel autem diligebat Iose-
phum super omnes filios suos: sic et Iosephum ar-
bitror, plus a Deo dilectum fuisse, quam reliquos
omnes, ut maioris huius dilectionis aperta indi-
cia, et manifesta argumenta attestantur; omnium
excellentiora gratiarum charismata praetere-
tis a Deo ei collata, quorum sane haec, quae
sequuntur, principem locum tenere arbitror.
Sicut enim Iacob in signum audientioris amoris
erga Ioseph fecit ei tunicum polymitam; sic**

Deus nostro Iosepho polymitam tunicam apta-
vit, hoc est, spirituale vestem talarem a ca-
pile usque ad lalos omnium virtutum coloribus
decoratam: ibi charitas ceteris ardentior, ibi pu-
dicitia rara, ibi tolerantia invincibilis, ibi mod-
estia omnibus grata, ibi comitas omnium animos
concilians. Unde sicut olim, cum summus sacer-
dos in sancta sanctorum introire debebat, et arcam
illam testamenti concomitari, iussione divina
praecipiebatur, ut pretiosam vestem indueret, in
qua orbis, et eius perfectiones descriptae appa-
rebant; sic sane, quia Ioseph non semel in anno,
ut summus sacerdos, ingressurus erat ad sancta
sanctorum, hoc est, ad Christum Dominum, qui
saeculis frequentissime, cum infans erat, mani-
bus contrectabatur; et quia pariter concomitari
debebat mysticam illam arcam, beatam scilicet
Virginem, ideo oportebat, ut ad haec tam excelsa
munera obunda polymitam vestem omnium
virtutum varietate ornatum indueret. Quod si
rex Pharaon honoris gratia induit antiquum il-
lum patriarcham Iosephum veste byssina, et
candida, qua per publicas vias incedebat (*Gen.
41.*): *Vestivitque eum stola byssina*, castitatem
eius significans, quae tanto in eo praecellit,
quanto ab hera sua importunius sollicitatus, et
instantius ad libidinem stimulatus fuit. Nam
si credimus Iosepho (*lib. 4.*) de testamentis duo-
decim patriarcharum, primum omnium variis,
ac importunis precibus eum allicere tentavit;
deinde videns preces nihil proficere, finxit se
Iudaeorum religionem velle amplecti, deside-
rareque ab eo catechizari, et instrui, ut hac
via amicitiam eius, et familiaritatem concilia-
ret; sed cum Ioseph neque his auerit, coepit
numericis progurgare eum, sed non expugna-
visti; ac tandem videns praedicta omnia vana
sibi, ac futilia fuisse, veneficis remediis, et in-
cantationibus eum in suam sententiam trahere
conata est; misit enim ad eum, ut auctor est
Ioseph praecitato loco, condimentum quoddam,
in quo apparebat valde visum ensis, quem vir
quidam vultu torvo, et horribili evaginabat,
significans, gravem de illo vindictam fore sa-
mendans, nisi desiderio illius inserviret; quod
sane non potuit non vehementer animum Iose-
phi excoerare, ut et vestis illa byssina si-
gnificabat: byssus enim, antequam candorem,
ac decorem oblineat, variis lusionibus tor-
quetur. Ad eundem modum Deus candidam, ac
byssinam castitatis vestem Iosephum nostrum
induit, cum multis tamen pressuris coninactam:
haec autem non solum venteris illius Iosephi
castitatem, sed et angelicam longo intervallo
excessit puritatem; Ioseph enim ille antiquus
tandem filios ex matrimonio procreavit; at noster
Ioseph castius vixit nuptus, quam ante nuptias,
nec filiorum generationi ullo tempore vacavit.
Ille quidem, ut castitatem servaret, oportuit,
ut fugam arripere, pallium suum in manu
foeminae relinquens; Ioseph autem noster con-
vescens, et cohabitans per multos annos cum
Maria, pulcherrima omnium foeminarum, caste
adeo vixit, ut nec ulla unquam libidinis cogi-
tatio illum impeteret, prout sponsum Dei Ge-
nitricis decebat, quae puritatis speculum erat.
Angelicam etiam virginitalitatem Iosephina virgi-
nitas multis nominibus superavit; tum quod

illa naturalis erat, haec ex gratia; illa neces-
saria, haec libera, et voluntaria; illa absque
merito, haec multiplici merito cumulatam; illa
tandem in solo spiritu, haec vero in spiritu,
et corpore: et sicut de illo Iosepho dicitur in
Genesi (c. 44.): *Sedit in forti arcem eius*: quasi
diceret: ita fortem, ac invincibilem, cum variis
tribulationibus premebatur, extitisse, ut
instar optimi arcis, quamvis flecteretur, non
tamen frangeretur: ad eundem certe modum
noster Ioseph variis laboribus tam animi, quam
corporis ob suspicionem gravidæ uxoris, et
longo in Aegyptum itinere ob herodianam per-
secutionem confectus, et excruciatissimus, nunquam
tamen animo adversis eventibus succubuit, sed
omnes has difficultates constanter superavit. Si-
cut etiam in signum amoris, et benevolentiae
rex Pharaon antiquo illi patriarchae Iosepho
torquem aureum ex collo eius appendit; alia
sane multo pretiosiori collam nostri Iosephi
Christus Dominus circum, dum infans, brachiis
suis collum eius circumdans, ab eo, tamquam
pretiosissimum agnus Dei, pendebat, sed et
alia etiam torque, ac inaequabilibus catena ex
variis virtutibus contexta animum eius exor-
navit.

Quatuor Iosephos non semel dixi in sacra
commemorari historia: primum, patriarcham
Iosephum prorege Aegypti: secundum Iosephum
ab Arimathaea: tertium, discipulum
Christi, qui cognominabatur Barsaba: quartum,
Iosephum sponsum Mariae; in quibus sane
observavi, quatuor praecipue virtutes cardinales
mirifice effuluisse. In patriarcha illo prudentia
adeo viguit, ut teste Carthario (*lib. de Imag.*), Aegypti
deum Serapim appellaret; supra cuius
caput modium, quo frumentum mensuratur,
apponebat, ut singularem eius prudentiam, ac
providentiam, qua tempore ingruentis famis, quae
totam Aegypti terram occupabat, frumentum
per varias partes distribui iubebat, significa-
ret. In Ioseph ab Arimathaea fortitudo valde
emittit, cum Christi discipulis timore per-
territis, petit audacter corpus Iesu sibi a Pi-
lato donari. In Iosepho vero Barsaba iustitia
adeo se ostendit, ut cognomento iustus
diceretur. Temperantia in nostro Iosepho splen-
dit; sed et prudentia non deficit in servando
Christo Domino, qui frumentum erat ecclesiarum,
immo, quae futurus panis ad cibandum Ecclesiam;
immo, quasi audierit illud Christi Domini (*Matth.
13*): *Non est bonum sumere panem filiorum,*
et dare canibus, agnoscentes famem venturam,
panem hunc coelestem, panem, inquam, filiorum,
ab illius ravidissimi canis voracissimis
faucibus diligentissime custodivit. Fortitudine
etiam claruit, siquidem Herodem regem, in-
fantem Iesum occidere tentantem, vicit, et praedam
suam et manus eius eripuit. Iustitiam
tandem in eo profundas radices fecisse satis
testatur evangelica historia, dum ait (*Matth. 1*):
*Ioseph autem, cum esset iustus, noluit eam tra-
ducere.* Ex his ergo variis virtutibus, charitati
auro velut ornamentum micantibus, torques
nostri Iosephi texebatur. Commemorato deinde
sacer textus de antiquo illo patriarcha Iosepho
portasse frequenter virgam, de qua d. Paulus
(*Hebr. 11*) loquens de Iacob dixit: *Audarit sa-*

stigma virgine eius: quem locum explicat ille alidius Isaiæ (c. 11): *Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice eius ascendet*: ecce virgam, Mariam virginem; ecce florem ex virga pullulantem, Christum Dominum; Ioseph ergo noster secum ferebat et virgam, et florem Dei matrem, dum filium cum matre in Aegyptum ducebat, et in domum reducebat. Ad hæc, si Iosepho illi datus fuit annulus a rege, in quo regia eius imago erat sculpta; alium similiter pretiosorem annulum, et pulchriori imagine insculptam Iosepho nostro contulit Deus, Christum scilicet Dominum per annuli symbolum egregie significat: nam sicut extrema circuli in annulo coniunguntur in una, eademque gemma, in qua miro artificio regium sigillum adest; sic in Christo duæ illæ naturæ, humana, et divina copulatæ fuerunt in una, eademque pretiosa petra, Paulo dicente (1. Cor. 10): *Petra autem erat Christus*: hoc est, in eadem persona Verbi, quæ sigillum est, et, ut ait Apostolus (Heb. 48): *Imago bonitatis illius, et figura substantiæ eius*: hunc ergo annulum posuit Deus in manu Ioseph, ut illum custodiret, et signaculo eius, quæ vellet literas, obsignaret; in quo mira effulget Iosephi auctoritas, et potentia.

Ad hæc, quemadmodum Iacob adeo liberalis exiit erga filium suum Ioseph, ut ei diceret (Genes. 48): *Do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio, et arcu meo: cuius quidem meminit d. Ioannes (c. 4) cum dixit: Iuxta prædium, quod dedit Iacob filio suo: addens: Erat autem ibi fons: supra cuius lapidem requievit lassus Iesus: Sedebat sic supra fontem; non secus Deus optimus maximus nostrum Iosephum præ ceteris adeo complectavit, ut sacrum illud prædium b. Virginis, terram sanctam, et immaculatam, quam in gladio, et arcu crucis a peccati, et corruptionis legibus, mortis auctore valde recalcitrante, et reluctantè, immemore servaverat, liberaliter donavit, purumque fontem eidem contulit, fontem, inquam, illum signatum, in quo non solum sedit, sed et requievit; immo, et ex eo fluxit, ac per nativitatem emanavit ad nostram omnium sitim extinguendam, ut ipse testatus est, cum dicebat (Ioan. 27): *Si quis sitit, veniat ad me, et bibat*.*

Deinde de antiquo illo Iosepho sacra commemorat historia, somnium suum parentibus, et fratribus in hunc modum enarrasse (Gen. 37): *Putabam, nos ligare manipulos in agro, et quasi consurgere manipulum meum, et stare, vestrosque manipulos circumstantes adorare manipulum meum*. Quid manipuli isti adumbrabant, nisi homines? quis vero dubitat, ex grano illo divino, seminato in sanctissimo agro virginel uteri, consurgere manipulum, nempe Christum, cum quo nemo est conferendus? Merito autem Ioseph potest appellare hunc manipulum suum, quoniam quamvis iuxta carnem Filius Dei non fuerit filius Ioseph, quia Spiritu sancto cooperante, ex illibata Virgine conceptus, et natus est; ceterum, quia manipulus ille fructus erat sacrosanctæ illius, ac virginæ terræ Marianæ, consequenter et manipulus ille erat illius. Hic ergo solus manipu-

lus stetit, quoniam nunquam per peccatum cecidit, et hunc unum Iosephi manipulum omnes fideles adorant. Veracissime ergo usurpare sibi potest noster Ioseph antiqui illius verba (idd.): *Putabam vestros manipulos adorare manipulum meum*. Quod si antiquus ille patriarcha fratribus suis his verbis somnium aliud retulit: *Vidi per somnium, quasi solem, lunam, et stellas duodecim adorare me*: id sane prænotabat, futuram esse aliquando, ut pater, mater, et fratres eius ditioni eius subicerentur, ut reipsa postea contigit, cum in proregem totius Aegypti a Pharaone creatus fuit. Id quam apte Iosepho conveniat, nemo est, qui non videat: nam in primis sol iustitiæ Christus, ut s. Lucas testatur (c. 2), *subditus erat illis*: unde cum Christo Domino, tamquam Filio Dei naturali, cuncta obediant; obediunt angeli facti omnes administratorii spiritus propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis: obediunt astra cœlestia: *Stellæ cœli vocatæ sunt, et dixerunt: adsumus: obedit sol, planetarum princeps, cum tempore Iosue celerem cursum suum cohibens, in medio cœli stetit: obediunt ventorum turbines, ut testatur Matthaëus (c. 8): Quis est iste, quia venti, et mare obediunt ei? mare non semel obediit eidem, dum tempestate ingruente lumen fluctus suos compescuit, et fluxibilem aquam suam, tamquam solidum pavementum exhibuit, ut super illud, velut supra firmam terram, deambularet Iesus. Quis plura? Mors ipsa, quæ super omnes mortales latissimum habet dominium, ei ad nutum saepe obediit, dum mortuos, quos deglutierat, ad vitam revocatos ad imperium eius restituit; ac tandem tartaræ potestatis, velint, nolint, ei obsecundant, et, ut ait d. Paulus (Philip. 2), in nomine eius genuflectunt; immo et ea, quæ non sunt, voci eius subaudiunt: *Vocat ea, quæ non sunt, tamquam ea, quæ sunt*. Cum, inquam, Christo Domino cuncta subiciantur, non parum excellentiam Iosephi commendat, quod sol ipse iustitiæ, cui omnia obediunt, ipsi obedientiam præstiterit; sed, et luna etiam, b. scilicet Virgo, quam pulchram ut lunam appellavit angeli, eidem promptissime obtemperabat: si enim, id referente sacra Genesis historia (c. 18), Sara Abraham virum suum dominum vocabat, et tamquam domino suo obediabat; crediderim merito b. Virginem longe obsequentiorem Sara erga Iosephum se exhibuisse, et illi tamquam capiti, ac domino suo se subiecisse: ac tandem, si sol, et luna, Iesus, et Maria, obediabant ei; haud difficile erit credere, stellas, hoc est, pios illos viros, qui illis adhaerebant, dignitatem Iosephi suspicientes, eidem etiam obtemperasse. Deinde, si de antiquo illo patriarcha Ioseph sacra eloquia (Gen. 39) dicunt: *Invenit Ioseph gratiam coram domino suo, et ministrabat ei, a quo præpositus omnibus, gubernabat creditam sibi domum; hæc eadem sane satis superque noscuntur ad nostrum Iosephum mirifice pertinere: si enim ille antiquus Ioseph invenit gratiam coram Pharaone Aegypti rege, hic invenit eam coram Christo, cœli, et terræ potentissimo imperatore: et si gratia, quam ille sibi conciliavit, eo pervenit, ut Pharaone inbente alta præconis vo-**

ce per publicas civitatis vias pater legalis Pharaonis, et universæ patriæ acclamaretur, ut tradit d. Hieron. (super cap. 41. Genes.), et favent verba ipsius Iosephi dicentis: *Deus fecit me, quasi patrem Pharaonis*; sane gratia, quam invenit Ioseph coram Christo Domino, eo accessit, ut non voce unius præconis, velut ille, sed tot, quot sunt in Ecclesia divini Verbi præconum publicis acclamationibus, ac singulari Ecclesie catholice iubilo, *Pater Christi* frequenter vocetur, iuxta verba b. Virginis hoc honorifico nomine illum compellantis (Luc. 2): *Pater tuus, et ego, dolentes quaerebamus te*. Et si de antiquo illo Ioseph addit sacer textus, quod ministrabat regi, et creditam sibi domum gubernabat; nemo sanæ mentis ambigere potest, Iosephum regi Christo in infantia, pueritia, juvenute milles ei ministrasse, ac de propria substantia, et sudore vultus sui illum nutrisse, et aluisse, sacramque illam familiam non ex aliis, quam ex Iesu, et Maria compactam, summa prudentia gubernasse. Ac tandem, si patriarcha ille Ioseph ob fraternam persecutionem in Aegyptum exulavit, etiam noster Ioseph ob herodianam in Christum persecutionem compulsus fuit in Aegyptum exul abire: et sicut ille arcana non pauca sibi, et aliis profutura in somniis agnovit, unde fratres dicebant (Gen. 37): *Ecce somnator venit*; ita et noster Ioseph divinitus illustratus per plura arcana angelico ministerio in somnis sibi reserata accepit, evangelio dicente, non semel ei apparuisse angelum Domini in somnis, ut mysterium incarnationis, integritatem Mariani thalami, ac protectionem Christi in Aegyptum, et reditum in Iudæam aperiret.

Porro, si hucusque placuit, fratres charissimi, ea, quibus uterque Ioseph similis fuere, brevi eloquio percurrisse, non displicebit, ni fallor, nonnulla, in quibus eorum dissimilitudo, et antipathia nostrum Iosephum celebriorem reddunt, breviori sermone auscultare. Moyses narrat, veterem illum Iosephum fratres suos accusasse de crimine pessimo, ut

verbis eius utar; quodnam autem genus peccati hoc fuerit, quidam putant fuisse, contra naturam, ut refert glossa; alii melius, ut ibidem dicitur, opinantur, peccatum pessimum appellasse peccatum odii, quo fratres ex Rachel nato alios ex Lia genitos prosequuntur, obficiens illis, filios ancillæ esse, non domine. Verum, quidquid de hoc sit, quamvis demus, istam fuisse illius Iosephi accusationem, iustitia tamen nostri Iosephi in eo clarior emicuit, quod, cum venter Virginis intumescens, illum ad eam tanquam adulteram accusandum impelleret, ab ea tamen accusatione penitus se abstinuit, evangelista dicente (Matth. 1): *Ioseph, cum esset iustus, noluit eam traducere*. Itaque si iustus fuit ille Ioseph accusans, iustior sane noster, non accusans; si iustus ille, fratres traducens, iustior noster, non traducens; si iustus ille, patris punitio germanos tradens, iustior hic a iudicis punitio uxorem præliberans. Idem etiam Moyses commemorat, quod licet dominus, cuius familia erat patriarcha ille Ioseph, cuncta bona sua voluntati eius subdidisset, uxorem tamen sibi reservarat, quam minime potestati eius dederat; unde Ioseph ipse dixit domine suæ (Gen. 39): *Eccc Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat, quid habeat in domo sua, nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, præter te, quæ uxor eius es*: at cum nostro Ioseph magnificentius se gessit Deus, cum dilectam sponsum suam, beatissimam Virginem, Filii sui Genitricem, sub Iosephi protectione, ac dominio tanquam veram eius uxorem constituerit. Sed quid mirum, si inter ea, quæ Iosephi potestati Dominus subdidit, sponsam suam etiam subderet, qui Filium suum naturalem, Christum Dominum et patriæ Iosephi potestate exemptum minime esse voluit, sed illi potius obediendum, ac subditum, ut non semel ex evangelica lectione retulimus, *subditus erat illis*? His ergo pariter cum Christo sit honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.